

COMMENTATIONES
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM
GOTTINGENSIS
RECENTIORES
VOLUMEN VII.

AD A. MDCCCXXVIII — XXXI.



CUM FIGURI S.

GOTTINGAE,
SUMTIBUS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXXII.

M E M O R I A
FRIDERICI BOUTERWEK

I N
CONSESSU SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM

D. VI. SEPTEMBRIS MDCCCXXVIII.

C O M M E N D A T A

A

J O. F R I D. B L U M E N B A C H.

G O T T I N G A E
T Y P I S D I E T E R I C H I A N I S.
MDCCCXXVIII.

Sodales vita defuncti, quorum post obitum memoriam sollemni consessu Societatis recolere partium mearum fuit, aut aetate me haud parum excesserant, aut adversa valetudine diutius afflicti animum ad fatalem eius euentum pridem parauerant.

Ast quam dispar ab istis ratio est duumuirorum desideratissimorum, BOUTERWEKII et SARTORII L. B. DE WALTERSHAUSEN, me tribus lustris iuniorum, et quorum inexspectatus et inopinus ex viuis discessus vt vrbem attonitam et amicos afflictos fecerit, omnes nouimus.

Iam ergo priori istorum ita parentare mihi liceat, vt praeter aliqua de vitae eius curriculo et ingenii quo pollebat indole, studiorumque ratione *a)* iis maxime inhaereum, quibus de disciplinis propriis ad societatis nostrae institutum attinentibus, tam egregie meruit *b).*

a) Cf. memorabilem BOUTERWEKII de vita propria narrationem in EJ. *kleinen Schriften philosophischen, ästhetischen und litterarischen Inhalts.* 1818. pag. 1 - 50.

b) Pleniorem indicem scriptorum eius v. in CL. SAALFELD *Geschichte der Universität Göttingen von 1788 bis 1820.* p. 356 sq. quibus adde BOUTERWEKII *Aesthetik* ed. 3. Gottingae 1824. II voll. 8. et EJ. *Religion der Vernunft.* ib. eod. 8.

Et quidem natus est d. xv. Apr. anno seculi praeteriti LXVI. Okerae prope Goslariam non vno nomine celebratam Hercyniae antiquissimam vrbem, patre magistro fodinae et officinae metallicae, qui filium inde a prima iuuentute iuridico studio dicatum voluit, vsus in primis eo argumento, quod iurisconsulti sint qui orberi regant. Mater vero, lectissima matrona, omnibus sexus sui dotibus conspicua, Friderico suo amantissimo praeter alia institutionis puerilis elementa vernaculorum quoque poetarum, Gellerti in primis, opera praebebat, usque dum magis adolescens Brunsvigam mitteretur, vbi praecipue in celebri collegio Carolino instructione praeclarorum virorum, Eberti, Gaertneri, Eschenburgi aliorumque, praesertim linguarum, veteris scil. Graeciae et Latii, cultiorisque Europae hodiernae, et in vniuersum humaniorum litterarum studio tanto successu incubuit, ut iam tum inter praecocia eius aetatis referretur ingenia.

Triennio ita sedulo peracto Gottingam venit, vbi per alios tres annos maxime iurium disciplinis tam assidue operam dedit, ut iam secundo anno ad quaestionem ab ordine iureconsultorum ad concertandum propositam ita responderit, ut eius commentationi c) praeimum Regium decretum sit.

Nihilominus tamen altero hocce triennio absoluto in patriam vrbem redux postquam aliquamdiu de studiorum et vitae genere in posterum eligendo dubius

c) *De fundamento successionis germanicae tam allodialis quam feudalis.* Gott. 1786. 4.

fluctuauerat, legum scientiae valedixit, et iam docendae philosophiae et elegantiori litteraturae se dicauit.

Rediit ergo Gottingam comes magister eximii iuvenis, quocum praelectiones praesertim ad naturalem historiam e affines scientias frequentabat, in quibus praecipue mineralogiae studio capiebatur, quod postmodum familiaris consuetudo cum socero suo cl. WESTFELD d), sodali quondam nostro spectatissimo, ultra souit, ita ut non solum memorabilem fossilium apparatus collegerit, sed et scriptis ad eam disciplinam facientibus non uno modo meruerit e).

Verum iam inde a reditione ad almam Georgiam Augustam maxime philosophico et aesthetico studio se addixit et quidem, quod prius attinet, tum temporis praesertim Kantiano systemati, quod quidem primus in

d) Cf. de vita viri meritissimi, qui Societati nostrae per integros LVI annos, primum inter familiares, postea sodalium classis physicae ordini adscriptus fuit, narratio in ill. SPANGENBERGII *neuem vaterländischen Archiv.* T. IV. P. II. pag. 374 sqq.

de scriptis vero eius v. MEUSSELII *gelehrtes Teutschland* T. VIII.
pag. 470. T. XVI. pag. 204 sq. et T. XXI. pag. 516 sq.

e) Eminet in his praesertim egregium opusculum de ratione corpora mineralia methodo philosophica ordinandi (*über die Möglichkeit einer philosophischen Classification der Mineralkörper. Ein Gutachten aus keiner Schule.* Götting. 1808. 8.); quod ipse quidem anonymous ediderat, facilis tamen rogatu meo permisit, ut auctorem clarissimum nominarem.

Inter scripta vero, quae ad cel. DE LEONHARD libros pugillares mineralogicos (*Taschenbuch für die gesammte Mineralogie*) consultit, in primis memorandum est illud de lapide calcario fibroso corticulari prope portam Westphalicam Mindensem. (l. c. T. IV. 1810. pag. 350.)

vniuersitate nostra litteraria publice exposuit, neutiquam vero vt coecus, sed ipse iudicans eius assecla, a quo autem postmodum sensim deflexit, et suam philosophiam potius ad mentem H. Frid. Jacobi accommodauit, ita tamen vt sistema sibi proprium, quod exin condidit, non pro filia sed pro sorore philosophiae viri istius in suo genere (vt quidem noster eum vocabat) vnici haberi voluerit.

Quantum enim ipse philosophicum studium emendare et vltro perficere studuerit, testantur praeter alia eius scripta hoc facientia in primis Institutiones disciplinarum philosophicarum nouo isti systemati adaptatae, quas quidem ipse iteratis curis magis magisque auctiores et perfectiores reddere adnixus est, in vniuersum tamen tanquam pro testamento suo habuit, quod coaeuis et posteris istorum studiorum cultoribus legatum voluit.

Etsi autem his scriptis in primis per Germaniam inclarerit, iis tamen diutius morari non esset huius loci, cum eorum argumenta praeter ea quae historiam philosophiae veteris attinent, a Societatis nostrae limitibus ex statutorum praescripto aliena sint; quare et celebres suo aevo philosophi Gottingenses, Societatis sodales, vt Hollmann, Meiners et Buhle nunquam super materiis philosophicis proprie sic dictis commendationes eidem contulere.

Noster autem, post varia quae interim suscepserat per Germaniam et Heluetiam itinera, vere anni XCVI tertia vice dilectam sibi Gottingam adiit, in qua iam proximo

anno, Federo quo antea magistro vsus fuerat, Hannoueram euocato, Professor philosophiae, primo extra ordinem, quinquennio vero elapso ordinarius factus est.

Quantopere vero ab eo inde tempore praelectiōnibus suis philosophicis, aestheticis, litterariis iuuentuti nostrae academicae profuerit, testantur milleni eius auditores, qui quantum in istis disciplinis profecerint vno ore grati profitentur.

Iam quod scripta attinet quibus triginta per annos de studiis suis tam egregie meruit, praeter commentationes seorsim memorandas, quas in concessibus Societatis nostrae exhibuit, bina in primis eminent, enchiridion nempe aestheticae disciplinae, cuius principia et leges per omnem elegantiarum litterarum et artium ambitum egregie exposuit, ipse viuidissimo pulchri sensu a natura praeditus, tumque historia poeseos et eloquentiae cultioris Europae inde a seculo XIII^{tio} exeunte, quam quidem pro palmario eius opere habere licebit, siquidem XII volumina explet, quibus XX annorum studia impendit, et quale quidem vix nisi a tanto auctore, tantis subsidiis litterariis instructo quanta bibliotheca Regia academie Georgiae Augustae ipsi suppeditabat, perfici potuisse, huiusmodi laborum periti faciles dabunt f); cumque in his praesertim historia

f) Ea pars praeclari operis quae historiam Hispanicae poeseos et eloquentiae complectitur in ipsam eam linguam translata et numerosis additamentis aucta hoc ipso anno prodit s. t. *Historia de la literatura Espanola, escrita en Aleman por FRED. BOUTERWEK, traducida al Castellano por Jos. GOMEZ DE LA CORTINA, e Nic. HUGELDE DE MOLINEDO.* Madr. 1828. III. vol. 8.

istarum disciplinarum quomodo a Lusitanis cultae sunt, nouitate et accuratione emineat, reuocat hoc in mentem insignia opera quibus alii Professores Gottingenses itidem de istius regni historia, politica quidem et statistica primi et egregie meruerunt, ex quibus pridem defunctos duumuiros, *Schmaussium* inquam et *Gebauerum* nominasse sufficiat.

Iam vero et quod proxime ad nos attinet, ea commemoranda restant, quibus desideratissimus cui parentamus sodalis de Societate nostra, cui inde ab a. XI. huius seculi adscriptus erat, maxime meritus est. Idque praesertim dupli ratione. Commentationibus inquam doctissimis quas in concessibus recitauit; tumqne symbolis numerosis quibus Recensus Gottingenses literarios (antiquissimum eiusmodi quae in Germania extant institutorum, et quod iam per LVII annos auctoritate societatis, curante vno sodalium nostrorum prodit) ditauit et vere ornauit.

Et quidem quod prius attinet, quinis commentationibus eximiis historiam philosophiae veteris Graecanicae ita illustrauit, vt iunctim nouum plane conspectum critico acumine tractatum diuersorum istius nobilissimae gentis systematum exhibeant; inprimis comparando ea, vbi locus erat, cum philosophumenis recentissimarum quae in Germania effloruerunt scholarum.

Ita commentatione de primis philosophorum Graecorum decretis physicis g) origines naturalis vt audit

g) *Commentationum recentiorum* vol. II. ad a. 1811. cf. *Götting. gel. Anzeigen* 1812. pag. 97.

philosophiae secundum hypotheses disciplinae Ionicae, inde a Thalete exponit, in primis eas quas hic de anima mundi ex genuinis mythis Orphicis cosmographicis hauserit.

Alia de originibus rationis dynamicae *h*) agit, in primis ad illustrandam naturalem philosophiam Aristotelis et pantheismum Heracliti, in qua curatius inquirit, quodnam de rebus naturalibus disserendi genus vere sit dynamicum, quantumque intersit inter vim huius vocabuli generalem eamque qua nuperi nonnulli contenti esse videntur.

Recentissima vero exhibet philosophorum Alexandrinorum ac Neo-Platonicorum recensionem accuratorem *i*), in qua praesertim de philosophia Plotini agitur, cuius ex Indica et Persica doctrina hausta principia eam tantopere a Platonica genuina distinguant.

Praeter has adhuc alias binas commentationes consultit, alteram nempe de iustitia fabulosa et fati imperio ad tragoediarum graecarum Aeschyli et Sophoclis rationem philosophicam atque politicam pertinente *k*).

Alteram vero de philosophia Euripidea religiosa, ab Anaxagora praceptorum istius philosophi poetae deriuanda *l*).

h) Commentat. recent. vol. III. ad a. 1814. Gött. gel. Anz. 1814. p. 1529.

i) Comm. rec. vol. V. ad a. 1821. gel. Anz. 1821. pag. 1649.

k) I. c. vol. II. a. 1813. gel. Anz. ej. anni, pag. 1169.

l) vol. IV. a. 1817. gel. Anz. ej. anni, pag. 1657.

Censurae autem librorum quas recensibus nostris litterariis contulit, vti iudicii acumine et styli elegantia, passim etiam attico sale lectores adliciunt, liberae tamen ab inhumana ne dicam rudi reprehensione visuntur. Et quidem nuperrima earum non nisi post huma post obitum dilectissimi collegae inexspectatum prelo subiici potuit.

Inexpectatum sane aequa grauem et acerbum! Quanquam enim viro amantissimo sanitas et corporis constitutio robusta non contigerat, sed delicata magis, attamen valetudini iuncta satis bonae, quam et iuuenili aetate exercitiis gymnasticis firmare studuerat, donec sub initium mensis praeteriti vis morbi viscera infimi ventris occupantis, per cuniculos antea latentiores iam violentius erumperet, ita vt post paucorum dierum decursum d. ix. m. Augusti debitum naturae soluerit desideratissimus collega, qui omnibus quibus proprius innotuerat bonis, flebilis occidit.
